

Acta Apostolicae Sedis. - Commentarium Officiale.

Ad II. Affirmative in casu necessitatis.

Ad III. Unicum signum crucis cum Crucifixo, adhibita formula:
« Benedictio Dei Omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus Sancti descendat super vos, et maneat semper ». BJ. Amen.

Atque ita rescripsit. Die 11 Maii 1911.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. j§j S.

f Petrus La Fontaine, Ep. Charystien., *Secretarius*.

IL

DECRETUM

SUPER EDITIONIBUS LIBRORUM SACRAM LITURGIAM SPECTANTIUM.

Pluries a Sacra Rituum Congregatione normae traditae sunt Typographus pro editione Librorum Liturgicorum, praesertim per decreta dd. 11 Augusti 1905, 14 Februarii 1906 ac 25 Ianuarii vertentis anni, quod postremum respicit editionem vaticanam eiusque reproductiones super Libris cantum gregorianum continentibus. Quo vero eiusmodi normae latius pleniusque compleantur, Sacra eadem Congregatio, ad praecavendos et impediendos abusos, haec quae sequuntur, accurate discussa et perpensa, statuere voluit, atque servanda decrevit:

I. Editiones Librorum Sacram Liturgiam spectantium, sive Ritus et Preces in Sacris Functionibus peragendis contineant, sive Sacras Caeremonias supradictos Ritus Precesque comitantes praescribant, sive huius Sacrae Congregationis Decreta in unum collecta referant, sunt vel *Typicae*, vel iuxta *Typicas*.

II. Editiones *Typicae* excudere tantum possunt vel Pontificia Typographia Polyglotta Vaticana, vel alii Typographi Pontificii, qui a Sacra Rituum Congregatione veniam obtinuerint.

III. Singula editionis typicae folia revisioni huius Sacrae Rituum Congregationis submittentur, quae seu Commissionis Liturgicae, seu Commissionis de Musica et Cantu Sacro, iuxta opportunitatem, sententiam exquiret.

IV. Quaevis typica editio approbationis referet Decretum, talem editionem esse typicam declarans, simulque omnibus editoribus praescribens, ut praedictae editioni typicae futuras editiones omnino conforment.

V. Editores, aliqua editione typica completa, duo exemplaria huic

Sacrae Rituum Congregationi tradent, in Archivio ipsius Sacrae Congregationis maxima cura et studio conservanda.

VJ. Quivis Typographus, accedente consensu et approbatione respectivi Ordinarii, editiones *iuxta typicas*, quae nempe adamussim praedictis editionibus typicis respondeant, excudere potest.

VII. Rmi locorum Ordinarii, diligenti rerumque liturgicarum perito constituto revisore, qui videat an praefatae editiones plane cum typicis concordeant, talem concordantiam declarent et *imprimatur* apponant.

VIII. Quoad editiones Missarum aut Officiorum alicuius Dioecesis Propriorum, de quibus editio typica non extat, si in ipsa Dioecesi cuedendae sint, Rmi locorum Ordinarii concordantiam cum originalibus declarent et *imprimatur* apponant. Quoad vero editiones Propriorum tum alienae Dioecesis, tum Ordinum Regularium seu Congregationum, Rmi locorum Ordinarii, quorum iurisdictioni Typographi subiacent, *imprimatur* apponant, postquam vel Ordinarius Dioecesis, vel Superior Ordinis seu Congregationis, ad quos praedicta Officia seu Propria pertinent, de harum editionum concordantia cum originalibus a Sacra Rituum Congregatione approbatis Rescriptum, quod pariter edendum est, sibi remiserint.

IX. Inter Libros Sacram spectantes Liturgiam, ad effectum praesentis Decreti, sequentes praecipue adnumerandi sunt:

- a) Breviarium Romanum \
 - b) Missale Romanum f
 - , — eorumque excerpta.
 - c) Rituale Romanum ^
 - d) Pontificale Romanum
 - e) Martyrologium Romanum.
 - f) Caeremoniale Episcoporum.
 - g) Propria tum Officiorum, tum Missarum alicuius Dioecesis, Ordinis, seu Congregationis Religiosae.
 - h) Memoriale Rituum Benedicti Papae XIII pro minoribus Ecclesiis.
 - i) Instructio Clementina pro expositione Sanctissimi Sacramenti.
 - j) Collectio Decretorum Sacrae Rituum Congregationis.
- Contrariis non obstantibus quibuscumque.

Die 17 Maii 1911.

Fr. S. CARD. MARTINELLI, *Praefectus*.

L. ffi S.

f Petrus La Fontaine, Episc. Charystien., *Secretarius*.